

reverentiam, & obedientiam Dominis suis, quantumvis improbis, juxta illud 1. Petri 2. *Servi subditi stote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis*; proinde peccant contra quartum Decalogi præceptum, si in iis deficient, ut de communi testatur Giribaldus in 4. præc. Dec. cap. 2. dub. 4. ita à fortiori idem in casu de filia I., quæ non præmonito Patre, nubere tentavit, cum ipsamet ratio naturalis suadeat, quod constituta sub potestate Patris, hunc saltem monere debet priusquam alteri se obliget. Neque dicas, filios paternæ obedientiæ non subjici in iis, quæ ad status electionem pertinent; nam id quidem verum est in hoc sensu, quod ipsi possunt eligere statum, ad quem se vocatos noverint, & etiam valide nubere cui volunt. At falsum est in hoc alio sensu, quod semper id facere possint etiam licite; si enim nubant personæ infami, cum magno dedecore familiæ, vel alteri cum prævisione gravium dissensionum &c. tunc peccat ita nubendo. Idem ergo dici potest in casu de filia absque læsione libertatis: libertas namque ipsi inerat conformiter ad bonos mores, ac jus naturale, & divinum, non autem est contra; nam sic non est libertatis usus, sed abusus, uti monuimus anno 1748. ad Cas. I. Aprilis.

Ad II. pater responsio negativa ex Institutione 33. Domini nostri Benedicti Papæ XIV. necnon ex usu, & praxi continua hujus Civitatis, ac Diocesis. Siquidem ut Matrimonium sit validum, debet esse celebratum à proprio Parocho, qualis est Parochus sponsi, quando contrahitur in Parochia Sponsi: ille vero Sponsæ, cum in Parochia Sponsæ celebratur, vel saltem debet esse celebratum ab alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarium licentia. Jam vero Parochus, de quo est sermo, non erat Parochus Sponsi, prout exprimitur in casu, nec Sponsæ; cum enim hæc esset filia sub Patris potestate adhuc constituta, nec umquam cogitasset ibi figere domicilium, ejusdem Parochus proprius erat ille, in cujus Paroecia situm erat domicilium paternum, ut patet ex illis verbis, quæ leguntur num. 16. præfatæ Institutionis: *Sin autem (loquitur de puellis) paternum, maternum, vel fraternalium domicilium habebit, tunc Parochus, cui domicilium idem subjicitur, pro conficiendo Matrimonio præsens assistet.* Denique deputatus non fuerat, uti supponitur, neque à proprio Parocho, neque ab Ordinario ad tale Matrimonium celebrandum; ergo istud ab hoc Parocho celebratum non est validum. Neque dicas, quod puella relinquerat domicilium Patris, novumque ibi acquisiverat; cum enim de hoc neque cogitasset, Patris domicilium servabat, & in ea domo morabatur per modum depositi, ut dici solet de puellis educationis causa degentibus in Monasteriis, quarum Parochus proprius pariter ille est domicilii paterni, si hoc habent, vel materni, seu fraternali, ut docet quotidiana praxis.

Ad III. resp. affirm. si tale Matrimonium revalidetur, ac sit cum persona digna. Ratio est, quia attentata dignitate Sponsi, Pater non posset esse graviter rationabiliter invitus, quod filia sibi eum elegerit pro suis nuptiis, cum nullum dedecus inde Patri, ac familiæ obveniat. Et quamvis juxta dicta ipsa deliquerit huic spondendo, & cum ipso nuptias attentando, non præmonito Patre, tamen istud crimen non est tale, ac tantum, ut ob hoc filia jure possit à Patre exheredari, ac dote privari, cum ad summum id

jura permittant, quando nuptiæ contractæ vergunt in Patris, ac familiæ dedecus, & infamiam, ut colligitur ex Authen. *Ut cum de Apel. cong. §. causat.* Bossius de dote cap. 4. Rosignolus eod. tr. præf. 29. Immo si filia nupsit personæ vili, & indignæ, & excedens annum 25. ætatis adhuc teneretur Pater illi dare dotem, saltem juxta qualitatem viri cui nupsit, ut ex Auth. *Si post*, C. de inoffic. test. tradunt DD. comm.

M E N S E J U L I I.

CAS. I. Titius est vere creditor cujusdam Hebræi centum aureorum. At Hebræus id negat, nec potest Titius probare in judicio suum creditum per scripturam, aut testes; instat nihilominus apud Judicem ut deferatur Hebræo juramentum. Q. an possit Hebræus cogi ad jurandum juxta suum ritum?

CAS. II. Q. secundo, an possit tuta conscientia exigi juridicum juramentum ab eo, qui certo scitur esse pejeraturus?

Resp. ad primum, non posse Hebræum cogi ad jurandum juxta suum ritum. Ratio est, quia cum ritus Hebræorum sit superstitiosus, impius, & falsæ religionis protestativus, si cogeretur Hebræus ad jurandum juxta talem ritum, directe adigeretur ad actum superstitiosum, impium, & falsæ religionis protestativum, quod certè fieri non potest, cum sit per se, & ab intrinseco malum, ideoque in quocumque casu illicitum. Monent tamen Doctores, posse in casu exigi ab Hebræo juramentum absolute, hoc est, quod simpliciter juret, an sit debitor Titio centum aureorum, necne: si enim id ab eo exigatur, exigitur ob grave motivum, & exigitur aliquid, quod Hebræus, si vult, potest recte præstare jurando verum sine superstitione, & sic vocando verum Deum id testem veritatis, propterea ab ipso exigi juramentum tali modo, videtur jure suo; S. Tho. 2. 2. quæst. 98. art. 4. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 13. Filiucius, & alii communiter.

Ad secundum resp. cum Angelico præceptore loc. mox cit. personam publicam, sicut est Judex, utique posse ad instantiam partis illud exigere tuta conscientia, non sic vero personam privatam. Ratio primi est, quia Judex exigens juramentum ad instantiam partis, illud non exigit propria sponte, sed ex necessitate servandi ordinem juris, ac implendi officium sibi commissum, unde in tali casu non videtur ipse exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit. Ratio secundi est, quia tunc persona privata ipsa est, quæ exigit, ideoque spiritualis homicida est, licet enim pejerans, ipse suo perjurio se interimat, tamen qui institit eum jurare, manum interficientis impresit, ut loquitur S. Thomas. Quod hisce verbis confirmat S. Augustinus serm. 2. de Decollat. S. Joann. Bapt. *Ille, qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, immo duas animas, & ejus, quem jurare provocavit, & suam.* Docet tamen D. Thom. ibid. non esse peccatum exigere juramentum ab eo, quem nescis juraturum esse falsum. Et in cap. *Ex literis* de Jurejur. jussit Honorius Papa exigi juramen-

mentum in causa usurarum ad evadendam veritatem. Ex quo DD. inferunt, licere Judici ad instantiam partis exigere à reo juramentum de dicenda veritate, licet criminosi ut plurimum veritatem non ostendant. Si enim ad præcavendum reorum perjurium non posset ab ipsis exigere juramentum, etiam ad evitandum reorum mendacium, istis fieri non posset ulla interrogatio. Ursaya Instit. Crimin. lib. 3. tit. 2. num. 27.

CAS. III. Puer moribundus Viaticum petit, quoniam vero rationabiliter dubitatur de sufficienti ejusdem capacitate. Q. an debeat illi denegari?

Resp. neg. cum Bossio Var. Mor. tit. 22. §. 2. num. 6. Lugo de Euchar. disp. 13. sect. 4. & aliis pluribus, dicentibus in tali casu posse illi ministrari, eo quia in dubio favendum est animæ, ac utilitati petentis: & si aliunde puer est capax gratiæ, ac fructus Eucharistiæ cum nullo usu rationis, à fortiori est capax ejusdem cum dubio. Cacheranus eodem tr. cap. 3. §. 5. num. 91. Addo, ipsam petitionem Viatici factam à puero, subministrare conjecturam non levem, quod ipse probe discernat hunc cibum celestem, ac divinum à pane communi, item quod habeat aliquam devotionem, & pro modulo suo firmam fidem, & reverentiam erga hoc Sacramentum. Ergo potius non debet ipsi petenti denegari in periculo mortis: Ait enim Angelicus quæst. 80. art. 9. in C. *Aliqui dicuntur non habere usum rationis, quia habent debilem, sicut dicitur non videns, qui male videt. Et quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum.* Hinc Sanctissimus D.N. Benedictus Papa XIV. de Synodo lib. 7. cap. 12. nov. Edit. inquit: *Recte tamen, & sine reprehensione poterit Episcopus Synodali Constitutione Parochos compellere ad administrandum Sanctissimum Viaticum pueris mox decessuris, si eos compererit tantam assequutos judicii maturitatem, ut cibum istum celestem, & supernum à communi & materiali discernant.* Et num. 3. Ibid. *Iis præbendum præcipiat Episcopus, quos Parochus, diligenti præmisso examine, tanta compererit pollere ingenii perspicacia, ut latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum & firmiter credant, & reverenter adorent.* Circa quod in dubio potest etiam Parochus eos breviter instruere semel ac Viaticum petierunt.

MENSIS AUGUSTI.

CAS. I. Amaryllis capta impuro amore Mirtilli, cum hoc frequenter habuit tactus impudicos. Deinde tamen facti pertæsa, confessa est, & ad confirmandam contra peccatum voluntatem, votum non nubendi, ac perpetuæ castitatis emisit. At paulo post in idem peccatum relapsa de nuptiis cum Mirtillo tractavit, easque complevit. Q. primo; an quando facti pertæsa confessa fuit, rite impensa ei fuerit absolutio?

CAS. II. Q. secundo, an validum sit Matrimonium postea ab ea contractum?

CAS. III. Q. tertio, quomodo se gerere debeat circa petitionem, ac redditionem debiti, antequam obtinuerit dispensationem?

Res.

Resp. ad primum cum dist. Vel Amaryllis jamdiu solita erat cum Mirtillo frequenter delinquere, vel non. Si non, dico, rite illi impensam fuisse absolutionem; si paratam se ostendit ad removendam occasionem, per recessum alterutrius à domo, si ambo cohabitabant, & occasio erat voluntaria, vel per non coexistentiam solius cum solo, vitationem familiarium colloquiorum cum ipso &c. si erat involuntaria. Ratio est, quia tunc poterat Confessarius prudenter judicare, quod illa haberet verum animum deliberatum ac firmum, adjuvante Deo, amplius non relabendi. Et parum refert, quod non dimiserit occasionem antea, sed enim probat, quod non habuerit propositum efficacius prius, at non evincit inefficaciam propositi presentis. Renzius tr. 5. sect. 1. quæst. 15. Viva in 61. Prop. damn. ab Innoc. XI. num. 17. & aliis quamplures. Si postea Amaryllis jamdiu solita erat cum Mirtillo frequenter delinquere; tunc dico, absolutionem non fuisse ei rite impensam: ille enim frequens tam diuturnus relapsus cautiorem debebat reddere Confessarium in ea absolvenda; præbebat enim justum ac rationale motivum eidem absolutionem negandi, nisi prius occasionem dimitteret, si hæc erat voluntaria: vel ei absolutionem suspendendi usquequo daret signa emendationis, si occasio erat necessaria, ut constat ex damnatione prædictæ Propositionis 61. & communi DD. sententia.

Ad secundum resp. Matrimonium post ab ea contractum esse validum, sed illicitum. Ratio est, quia votum non nubendi, & Castitatis perpetuæ ab Amaryllide emissum, erat quidem impedimentum impediens, non tamen dirimens; unde quia hujusmodi Matrimonium fuit initum cum impedimento impediens, illicite ac peccaminose contractum est: quoniam verò non aderat impedimentum dirimens, validum est.

Ad tertium resp. quod si dispensationem non obtinet intra primum bimestre, teneatur tali tempore abstinere tum à petitione, tum à redditione debiti: si vero dispensatio, aut illius executio differatur etiam post tale bimestre, tunc eo elapso (si non deliberavit de statu religioso amplectendo) teneatur sponso petenti debitum reddere; sed ipsa illud petere non potest. Ratio præsertim est, quia intra prædictum bimestre jus habent conjuges non reddendi debitum, etiam præciso voto. Hinc cum votum ab Amaryllide emissum debeat impleri eo tempore, & modo, quo impleri potest, dicendum, quod pro eo tunc ipsa debeat illud implere abstinendo tum à petitione, tum à redditione. Neque dicas, bimestre esse concessum pro deliberatione ingressus in Religionem; unde cum Amaryllis non habeat hanc vocationem, ipsam teneri reddere sponso petenti etiam intra bimestre. Contra enim: si talem vocationem actu non habet, potest aliqua die bimestris hæc ei venire, adeoque jus habet non reddendi per totum bimestre, prout adversus Layman de Matr. c. 6. §. 2. & alios, docet Basilius Pontius eod. tr. lib. 6. cap. 1. cum aliis. Ratio postea secundæ partis est, quia cum Matrimonium, non obstante prædicto voto, subsistat, & conjux, elapso bimestri, habeat jus ad copulam cum uxore, hæc debet eidem petenti reddere; non enim potest eum privare jure suo. Ratio denique tertiæ partis est, quia ligatus voto teneatur istud implere quantum licite fieri potest. Cum ergo transacto dicto

Aaa

tem.

tempore, Amaryllis adhuc possit ipsum implere ex parte sua non petendo, dicendum, quod usque ad dispensationis executionem ipsa teneatur non petere, quantumvis debeat sponso petenti reddere: sicuti obligatus ad decem, si non potest solvere omnia decem, sed quinque, tenetur solvere ista quinque.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. **C**Ajus in vitæ discrimen ex morbo constitutus, vovit se daturum Calicem Ecclesiæ, non determinando valorem, ac se singulis diebus quinquies recitaturum Antiphonam *Salve Regina* per tres annos. Distulit autem oblationem Calicis per annum absque ulla causa, & sæpius omisit recitare Antiphonam prædictam. **Q.** primo, an peccaverit mortaliter differendo per annum executionem voti, cum in ejus emissionem non præfixerit ullum tempus.

CAS. II. **Q.** secundo, ex quam materia Calix debeat offerri, ut satisfiat voto?

CAS. III. **Q.** tertio, an si nolit recitare illas Antiphonas, peccet mortaliter?

Resp. ad primum, Cajum per se peccare mortaliter. Ratio est, quia quando vovens nullum tempus præfixit, debet votum implere statim ac mortaliter potest; proprium namque est promissionis absolutæ, quod statim ac acceptata est, obligationem pariat. Unde adest illa lex de reg. Jur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur*, l. 4. ff. de reg. jur. Quod maxime in materia voti pluris in sacris litteris inculcatur: sic Deuter. cap. 23. legitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum;* & Eccles. c. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Hinc sicuti quando dilatio sine causa est ad tempus mortaliter brevis, ut pote leviter morosa circa obligationem, non excusatur à veniali; ita quando dilatio sine causa est ad tempus longum (uti est annus in præsentibus) ac in materia gravi, prout est Calix, utpote notabiliter morosa circa obligationem gravem, per se non excusatur à mortali. Dico per se, eo quia cum votum sit quædam obligatio particularis, quam sibi vovens imponit, & ab ejus intentione dependens, fieri potest quod Cajus, eam sibi imponendo, non intenderit se obligare statim, sed post notabile tempus, & prout dici solet, *large*: quò in casu, etiamsi distulerit executionem ad annum, & amplius, fieri potest quod peccaverit solum venialiter, immo etiam nullo modo; unde ad judicandum eo tunc circa gravitatem, aut levitatem, vel etiam nullitatem peccati, servanda est illa regula, quam tradit Cajetanus Comment. in 2.2. quæst. 88. art. 3. versus fin. nempe: *Tempus executionis, quando præfixum non est, est infra tarditatem juxta conscientiam voventis.*

Ad II. **resp.** Debere offerri Calicem ex illa materia, cujus solent essent alii Calices talis regionis; habito tamen respectu ad facultates voventis: ita Layman lib. 4. tract. 4. c. 3. Bossius de Conse. Dub. part. 2. tit. 1. §. 45. num. 607. aliique apud ipsos. Ratio est, quia sicuti verba in votis ambigua interpretationem accipiunt juxta communem patriæ motem, ita & voventis

tis intentio. Et de facto cum Hispani votum Deo fecissent donandi quotannis certas frumenti mensuras Archiepiscopo Compostellano in honorem D. Jacobi Apostoli, & successu temporis amplius non constaret, in qua mensura Antecessores vota persolvissent, re delata ad Summum Pontificem, hic in c. ex parte de Censibus definivit, solvenda esse juxta consuetam mensuram: Ergo à pari in casu nostro; si nullo modo constat, cujusnam materiæ Cajus voverit Calicem, dicendum, quod debeat offerre Calicem ex illa materia, cujus solent esse alii Calices talis regionis; talis enim præsumitur illius intentio. Addidi postea illa verba *habito tamen respectu &c.* quia si vovens sit valde dives, rationabiliter præsumi potest, ipsum vovisse donum Calicis ex integro argentei; secus vero si è contra.

Ad III. **resp.** cum dist. Vel Cajus, dum vovit recitare quinquies in die talem Antiphonam, affixit hujusmodi obligationem tali diei, adeo ut hoc elapso, finita quoque esset talis obligatio; & tunc dico, quod si nolit recitare illas Antiphonas, non peccat mortaliter. Vel eas non affixit diei, sed sic eas per dies distribuit pro majori commodo, ut paulatim integram obligationem implendo, tota tandem intra tres annos adimpleretur: & tunc dico, quod si nolit &c. peccat mortaliter. Ratio 1. part. est, quia statim ac obligatio est affixa diei, & transit cum die, omissio recitationis facta una die, mortaliter non unitur cum aliis; unde cum quælibet sit materia levis, omittens solum leviter peccat. Ratio 2. part. est, quia tunc illæ omissiones mortaliter ununtur, sicque eo tandem deveniunt, ut sint omissio materiæ gravis; sicuti omittens modo unum versiculum, modo alium Officii ejusdem diei, devenit tandem ad omissionem quantitatis notabilis, ideoque tandem mortaliter peccat. Sanchez Oper. Mor. lib. 1. cap. 4. num. 14. & alii comm.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. **T**arquinius suspicans Uxorem suam cum Clerico adulterari, ut possit de veritate certior fieri, fingit se Mutinam proficisci, & per aliquot dies abfuturum; at domi se cum duobus testibus occultat, ac eventum observat. Videns autem Clericum ingredi cubiculum, & osculari uxorem, statim furore correptus insillit in Clericum, eumque stricto pugione interimit. **Q.** primo, an Tarquinius per fictionem illius absentiae peccaverit, quasi dando occasionem peccandi?

CAS. II. **Q.** secundo, an idem Tarquinius incidit in Excommunicationem contra percussores Clericorum.

CAS. III. **Q.** tertio, an Testes rei sint peccati mortalis, ac excommunicati.

Resp. ad I. per fictionem illius absentiae Tarquinium non peccasse, quasi dando occasionem peccandi. Ratio est, quia ut verificetur, quod quis alteri det occasionem peccandi, requiritur quod vel ipsum directe inducat ad malum, vel saltem faciat actionem, ex qua prævideat ipsum sumpturum occasionem mali. Jam vero quamvis Tarquinius suspicaretur de adulterio Clerici cum Uxore, proprie tamen dici non potest, quod prævideret ex fictione itineris sui Mutinam versus, Clericum occasionem sumpturum faciendi id quod fecit; ideoque nec dici potest, quod peccaverit quasi dando occa-

sionem peccandi. Immo si ea simulatione intendisset, quod Clericus, & Uxor à se in delicto deprehensi, confunderentur, & in posterum absterent, non peccasset simulando discessum, & se domi latitando cum testibus; Marius namque suspicans de Adulterio Uxor, jus habet observandi, etiam cum testibus, quomodo ista se gerat; ut cum Palao, & aliis notat Giribaldus de scandalo dub. 4. num. 26. nec id est ad peccandum inducere, aut peccato indulgere; sed non auferre mali occasionem, vel etiam malum permittere ad majus bonum; quod interveniente gravi motivo, iustum esse docent Dominicus Soto in 4. dist. 36. quæst. un. art. 3. in fin. Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 3. num. 32. & alii quamplures.

Ad II. resp. neg. dummodo illud occiderit in incontinenti. Ratio desumitur ex cap. *Si vero* 1. de Sent. Excom. ubi hoc definitum habetur; eo quia Ecclesia supponit, id factum non fuisse suadente Diabolo, sed ex vehementi passione; cum difficillimum sit tunc iram reprimere in huiusmodi repentinis eventibus, iustumque dolorem temperare. Et hoc valet, cum Sponsus Clericum invenit ista peragentem cum Sponsa, etiamsi cum hac nondum ipse consummaverit Matrimonium; item cum filius invenit Clericum ista peragentem cum Matre, vel Pater cum filia, vel frater cum Sorore, dummodo Clericus ad hæc perpetranda non fuerit ab ipsis dolose attractus; Avila de Censur. part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 13. cas. 16. Bonacina, Sylvester, & alii.

Ad III. resp. cum dist. Vel testes aliquo modo cooperati sunt occisioni Clerici; vel non. Si primum, dico ipsos peccasse mortaliter, & esse excommunicatos, quia tunc etiam de ipsis verificatur, quod Clericum interfecerint, & sic peccatum, ac Excommunicationem contraxerint, cum Cap. *Si vero*, non faciat mentionem de Testibus. Si secundum, dico, illos peccasse quidem contra charitatem, si huiusmodi occisionem impedire poterant, & non impediverunt; eos tamen non esse excommunicatos, quia ad talem occisionem mere negative se habuerunt; unde ipsos illum occidisse dici non potest, per consequens, nec inciderunt in excommunicationem, prout supra diximus de Irregularitate ad Cas. III. Maii.

M E N S E N O V E M B R I S .

CAS. I. Rusticus dubitans esse grave peccatum manducare diebus festis ante auditionem Missæ, sæpius comedit, nec tamen id in confessionibus expressit. Accedit mane in Festo Sanctorum Omnium ad Parochum pro reconciliatione, statim cum aliis communicaturus. Q. primo, an præteritæ Rustici Confessiones fuerint sacrilegæ?

CAS. II. Q. secundo, quid facere debeat Parochus, si ex una parte ob frequentiam populi non sit opportunitas repetendi tot Confessiones, ex alia, si iste abstineat à Communionem, nequeat vitari scandalum?

Resp. ad I. cum dist. Vel Rusticus reticendo in Confessione comestiones cum præfato dubio factas, advertit, quod male ac sacrilege confiteretur; vel non advertit. Si advertit; dico, præteritas ejusdem Confessiones, tali modo factas, fuisse sacrilegas; siquidem voluntarie, & ut supponitur, absque

ulla rationabili causa, defecit notabiliter quoad earum integritatem, adeo necessariam ad rite, ac valide hoc Sacramentum recipiendum, ut clare patet tum ex Cap. *omnis utriusque sexus*; tum ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. Si vero non advertit; dico, easdem non fuisse sacrilegas; non enim committitur Sacrilegium, saltem formaliter, nisi sit voluntarium; nec stat voluntarium sine advertentia, ut tradunt DD. comm. Hinc sicuti ex quo comederit cum illo dubio proprie pratico peccati mortalis, revera mortaliter peccavit in iis comestionibus, quia in eis aliquo modo grave malum apprehendit (quamvis sub dubio, & ex dictamine falsæ conscientiæ) & sic comedendo se exposuit periculo peccandi mortaliter; ita vice versa si reticendo in Confessionibus dictas comestiones, cum eo dubio factas, nullo modo advertit quod male, sacrilegeque confiteretur, dicendum, præteritas ejusdem Confessiones, tali modo factas, non fuisse sacrilegas; habuerunt enim integritatem formalem, quæ fuit satis in casu ad hoc ut valide susciperet Pœnitentiæ Sacramentum. Reginaldus lib. 6. n. 151. Suarez, cæterique comm.

Ad II. resp. Parochum debere ipsum monere, ut vel sibi consulat per actum contritionis perinde ac si Confessarium non haberet; vel in Confessione ea peccata exponat, quæ pro temporis angustia exponi possunt, concepto tamen dolore de omnibus, ut sic absolvatur directe ab expositis, indirecte ab aliis, hæc postea opportuno tempore expositurus. Ratio est, quia utrumque hoc medium in tali casu aptum est ad ipsum constituendum in statu gratiæ, sicque ad eum disponendum pro Eucharistia; cum Confessio materialiter integra sit eo tunc moraliter impossibilis. Neque contrarium evincit damnatio facta ab Innoc. XI. hujus propositionis 59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, vel Indulgentiæ; nos enim non dicimus, Rusticum in casu posse dimidiate absolvi ratione magni concursus pœnitentium, prout male dicebant Auctores, ac Defensores talis propositionis, quæ propterea damnata est; sed dicimus, eum in tali casu sic posse absolvi, quia Confessio materialiter integra eo tunc est, ipsi moraliter impossibilis, & quia obviandum est scandalo alias sequuturo, si ipsi ad Communionem non accedat; quæ ut patet, sunt duo motiva diversa ab expresso in prædicta propositione; & sunt causæ vere excusantes ab integritate materiali Confessionis, ut tradunt DD. comm. ubi agunt de ejusdem integritate.*

CAS. III. Eusebius surripit centum aureos Domino, quos negotiationi exponens, superlucrat quinque spatio unius anni. Deinde noscitur illos centum fuisse ablatos cuidam Mercatori. Q. cui, & quantum Eusebius restituere teneatur?

Respondeo, ipsum teneri restituere Mercatori, huic reddendo illos centum aureos; non teneri tamen ei tradere scuta quinque negociando lucrata, neque ei reficere interesse, si quod forte Mercator passus est antequam ipsi Eusebio innotesceret ejusdem esse illos centum aureos. Ratio pr. partis est, quia illi faciendæ est restitutio rei, qui est verus Dominus ejusdem, siquidem res clamat ad Dominum; sed in casu Mercator est verus Dominus illo-

illorum centum aureorum, cum ab ipso fuerint per furtum ablati; ergo &c. Ratio sec. part. est quia id, quod lucretur negotiando cum pecunia aliena, non est fructus pecuniae alienae, quae de se sterilis est, sed industriae, ac laboris ipsius negotiantis, ut optime exemplificat Giribaldus de Restit. cap. 2. dub. 5. adeoque isti debentur. Neque dicas, esse fructum etiam pecuniae; cum in contractu societatis, in quo unus ponit pecuniam, & alter industriam, postremo lucrum aequaliter dividatur: Contra enim; ideo tunc lucrum dividitur, non quia etiam pecunia fuerit fructifera; sed quia qui pecuniam apposuit, & ipse fuit industrius eam dando pro negotiatione facienda, & se exponendo periculo lucri, & damni. Giribaldus ibid. num. 47. Ratio denique tertiae partis est, quia si eo tunc Mercatori emersit aliquod damnum, vel lucrum cessavit, non fuit Eusebius ejusdem causa culpabilis, sed Eusebii Dominus; & si Eusebius ipsi damnum intulit, hoc fuit omnino inadvertenter, & per consequens absque culpa, sine qua non datur obligatio restitutionis, seu refectionis damnorum, ut tradunt DD. comm. in tract. de Restit.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. **F**ortunius ex subita passione, advertenter tamen, impie protulit ista verba: *Pueda yo renegar de Dios, si no me vengo: Si Dios me dixesse, que debo perdonar esta injuria que se me ha hecho, le diria, que mienta. O Dios mio! que cosa peor me podeis hacer?* Q. primo, an haec tres sint blasphemiae haereticales, ideoque reservatae in hac Dicecesi?

CAS. II. Q. secundo: Quid, si statim ac istas blasphemias protulit, in se reversus poenituit, signoque contritionis dedit; tenerne, qui ipsum audierunt, Inquisitori denunciare?

Resp. ad I. neutram ex his esse blasphemiam haereticalem, adeoque in hac Dicecesi reservatam. Ratio generalis est, quia ad blasphemiam haereticalem necessario requiritur, quod formaliter, aut virtualiter enuntiet, seu contineat aliquid erroneum in fide; quod plane non verificatur de aliqua ex praefatis propositionibus. Siquidem, quantum atinet ad primam, ac secundam, negari nequit, quod expriment propensionem quamdam ad enuntiantium aliquid contra fidem, & conditionalem quamdam ad id voluntatis tendentiam; haec tamen non est, sed multum differt a blasphemia haereticali, ut recte notat Bordonus de Blasphem. cas. 10. Similiter in tertia ad modum interrogantis quaerit quidem Fortunius, quid deterius facere illi possit Deus; at non negat, posse Deum ipsi quid pejus immittere: ergo proprie non sunt blasphemiae haereticales, per consequens nec reservatae in hac Dicecesi. Tamburinus in Decal. cap. 6. §. 4. & alii. Hinc inferes, quod Fortunius per hoc denunciandus non sit Inquisitori ut Blasphemus haereticalis, maxime si in se reversus, statim poenituit, signoque contritionis dedit. Monent tamen Del-bene, Bordonus, & alii, quod si Fortunius esset ex iis, quorum vita malemorata, & sic loquendi frequentia, non sanae fidei suspicionem ingerit, tunc, tamquam de haeresi suspectus, esset Inquisitori denunciandus, non obstante illa exteriori apparentia retractationis, & poeni-

tentiae: haec enim saepe in malemoratis artificiosa sunt. Ex quo habes responsionem ad secundum.

CAS. III. Parentes Beneficiati defuncti tempore messis, celant ejus mortem, donec messem fructuum Beneficii pro seipsis recondant. Q. an id licite peragant?

Resp. cum dist. Vel hujusmodi messis jam erat a solo separata cum Beneficiatus obiit; vel non. Si non; dico, parentes illicite id peragere, eo quia illi fructus, qui, obeunte Beneficiato, sunt adhuc pendentes, spectant ad Cameram Apostolicam, & sunt propinae, quibus ali solent Collectores Spoiliorum, quamvis ex iis tradi soleat aliqua portio Successori in Beneficio Parochiali. Si postea jam fuerat a solo separata, dico, quod si Parentes sunt etiam haeredes defuncti, id licite peragunt; nam hujusmodi fructus jam erant proprii ipsius Beneficiati; in cujus jura proinde si succedunt Parentes, legitime quoque ab his reconduntur pro se ipsis; ut non obscure colligitur ex Opere de Synodo SS. D.N. Benedicti Papae XIV. lib. 12. cap. 7. num. 3.

ANNO MDCCLVI.

MENSE JANUARI.

CAS. I. **T**itius contracto, sed non consummato Matrimonio cum Berta, deliberat Statum Religiosum amplecti. Ast quia dubitat, id a se licite fieri non posse, eo quod Sponsam cognoverit antequam eam duceret; ideo consulit Parochum, an licite id peragere valeat? Quid Parochus respondet?

Respondet, ipsum in casu id licite peragere non posse. Ratio est, quia licet Berta revera meretur linqui a Titio, ob consensum, quem huic ipsa praestitit, ut carnaliter ab eo cognosceretur ante Matrimonium, tamen ab ipso linqui non debet, eo quia hujusmodi copula praecedens, stantibus sponsalibus antecedentibus, praesumitur concessa, & habita sub conditione, ac intuitu Matrimonii futuri, & quidem intenti cum suo integro complemento, vel saltem cum ejus successiva continuatione; prout ipsemet Titius conjicere facile poterat, tum ex eisdem Sponsalibus jam initis, tum ex quo Berta verisimiliter ipsi numquam indulset, si nosset futurum, ut ipse a dein contracto conjugio postea resilire tentaret. Quare cum Titius, admissa hujusmodi copula, remanserit Bertae obligatus juxta intentionem ipsius, ut inter alios docet Passerinus de Hom. Stat. quaest. 189. art. 3. num. 57. ideo dicendum, quod cum haec intenderit Matrimonium permanens, ipse quoque quoad hoc eidem manserit obligatus, adeoque quoad personam; & sic nequeat, ipsa invia, Satum Religiosum licite amplecti. Et hoc maxime valet si Sponsa erat virgo, ac fuit ab ipso deflorata; tunc enim emergit nova obligatio manendi in conjugio, quamvis ea foeta non sit; ut nempe